

Docet fabula, prudentes non pati sese iterum improborum dolis falli, ubi illorum fraudes semel fuerint experti.

Mulus.

O Pimus pastu hordei factus mulus, incitare se ad cursum, & gloriari de maternâ origine, quam celeritate referret: Matrem, inquit, equam habeo, præstanti celeritate, quâ ego non sum inferior. Mox quodam tempore currendi necessitate illi impositâ defatigatus, cœpit paterni generis & se esse asino procreatum recordari.

Fabula monet, non superbiendum, si quem fortuna extulerit altiùs, neq; prioris conditionis obliviscendum: Nam instabilem esse vitam hominum.

Monet & hoc, provectoros ad honores & dignitatem, humilitatis aut dedecoris parentum conscientiam, perturbari animis, ut Euripides Phædræ loquentem introducit:

*Animos virorum fortium quoq; dejicit,
Si patris aut matris meminertint dedecus.*

Leo procus.

Leonem mirifico amore erga virginem fortè conspectam exarsisse ferunt. Venit igitur ad patrem, & nuptias petit filiæ ipsius. Huic ille, Egone tuis, inquit, istis dentibus & unguibus committam teneram virgunculam filiam meam? At absq; his foret, equidem felicem

cem